



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

174. An facta compositione bonorum incertorum per Bullam, comparente vero domino teneatur qui se composuit, ad restitutionem? Et an Episcopi possint concedere supradictam Bullam Compositionis pro sua ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

pauperibus illius villæ, aut in alios vsus ciuitatis expendere, secundum arbitrium Episcopi, vel eorum ad quos circa illius ciuitatis spectat, in qua disunctiua propositione, vt recte aduertit Petrus Nauarra de restit. lib. 4. cap. 2. num. 65. vtramque opinionem probasse videtur; igitur cum ex D. Thom. in tali casu, cuius ratio militat etiam in nostro, restitutio possit fieri pauperibus, erit locus Bullæ compositionis, nam vt obseruat Egidius Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ, lib. 2. dub. 4. num. 4. & alij quotiescunque aliqua ex obligatione restitutionis cedunt pauperibus, potest fieri compositio; & ita hanc sententiam in terminis casus, de quo loquimur, tenet Vasquez in opus. de restit. cap. 5. §. 4. num. 47. & Lopez in infirmit. part. 1. cap. 137. Sed ego, vt dixi, in praxi non recederem a negatiua sententia, quam supra factis firmavi, & in specie contra opinionem D. Thom. adest Caicranus in 2. 2. question. 62. artic. 5. ad 3. vbi mordicus tenet restitutionem ex prædata ciuitate non esse dandam, nec pauperibus, nec edificanda Monasteria cum extent damnum passu, & contra Vasquez adfunt omnes Doctores Societatis IESV, & alij; vel dici potest quod ipse loquitur in casu, quo restitutio esset facienda simpliciter ciuitati, quæ damnum minimum passa est, & non quando restitutio præbetur ciuitati, vt ipsa modo, quo supra dictum est ad ipsos ciues restitutam pecuniam peruenire faciat qui damnum passi sunt, vel loquitur quando, vt obseruat Maldetus de iur. tract. 4. cap. 4. dub. 2. pecunia restituenda esset tam exigua, vt parum admodum ex ea ad singulos dominos partita veniret, quod non accidit in casu nostro, in quo summa restituenda ascendit ad uncias 800.

RESOL. CLXXXIII.

An qui sit vendidisse vinum, & in tali loco vel misum aqua vel cum falsa mensura, ignorat tamen damnificationis, possit sumere Bullam compositionis? Idem dicend. m est de Macellariis, Cauponibus, Pistolaribus, &c. Ex parte 4. tractatu 4. & Miscellan. Ref. 113.

Pro contentis in hac Ref. late in Ref. practica.

§. 1. Negatiuam sententiam tenet Villalobos in Summa, tom. 1. tractatu 29. num. 30. vbi sic ait: [La duda es si sabiendo el lugar donde se vendio aunque no se sepan determinadamente las personas ha lugar la composicion, como se vn tauernero vendio en vn lugar con falsa media o en otra manera mas quarto meles vino en lo qual sabe que tiene mal lleuado tanto dinero aunque no sabe en particular quanto a este o a quel, en tal caso es mi parecer que no ha lugar la composicion, como no lo ha quando se duda entre dos a quien se deve que se ha de reparir pro qualitate dubij, y assi este tauernero ha de restituir o dandolo para gastos communes del consejo, o dando el vino mas barato por otro tanto tiempo.] Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam docet nouissimè Egidius de Trullench in exposit. Bullæ Cruciatæ, lib. 3. cas. 18. num. 2. quia in tali casu potest fieri restitutio pauperibus; ergo compositio habet locum. Igitur tabernarij, macellarij, cauponis, pistores, &c. qui falsis ponderibus, vel mensuris ab emptoribus aliquid plus iusto acceperunt, & ignorant à quibus acceperint, poterunt per Bullam, aut Commissarium componi, quod intelligendum est, vt supradictas fraudes praua positua confidentia huius Bullæ non commiserint. Sed de hac questione alibi fusius dictum est, ad quem locum me refero.

Alibi fusius in Ref. que hic est antecedens.

RESOL. CLXXIV.

An facta compositione bonorum incertorum per Bullam, comparente vero Domino teneatur, qui se composuit, ad restitutionem?

Et an Episcopus possit concedere supradictam Bullam compositionis pro sua tantum Diocesi? Ex part. 4. & Misc. Ref. 112.

§. 1. Affirmatiuè respondet Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 19. num. 9. vbi docet adesse in tali casu obligationem restituendi [antes de la sentencia las cosas que estan alteradas, y se ya se consumieron, se ha de restituir a quello en que factus est locupletior bona fide despues de hecha la composicion, la razon es porque ni el Papa intendo; ni deua consentir que perciendo el verdadero señor no viese obligacion a boluerceloni quando privado el señor del dominio de la cosa de fuerte que pateciendo no se le deua boluer en si misma, o lu equiualente.] Ita ille, qui citat Caicranum, Sorum & Lopez, quibus adde Rodriguez in Bulla composit. dub. 6.

2. Sed mihi negatiua sententia magis placet, quam tuerit Bannez in 2. 2. question. 26. artic. 7. dub. 8. Henriquez lib. 7. cap. 34. num. 6. Acoita in Bulla Cruciatæ, quest. 93. & Trullench in exposit. Bullæ lib. 3. dub. 8. quia hæc compositio acquiritur præscriptioni, sed qui legitime præscripsit, postea domino comparente non tenetur restituere, vt ipsemet Villalobos concedit. Ergo neque qui legitime se composuit, sicut enim Respublica habet facultatem dominia transferendi media præscriptione, & ita Papa media compositione, quia ipse est administrator bonorum temporalium in quantum concernunt bonum spirituale, Vide etiam alias rationes penes dictum Trullench supra.

3. Notandum est etiam hic obiter contra Sylvestrum, Cordubam & Rodriguez posse Episcopum concedere Bullam compositionis pro sua tantum diocesi. Ita Villalobos loco citato, num. 11. Trullench dubit. 1. num. 3. Henriquez lib. 7. cap. 33. num. 4. quia nec iure naturali, nec humano probatur id esse seruatum Papæ, iuste enim credi potest voluntatem creditorum esse vt Episcopus consulat conscientiam subditorum incerta debentium, nec valet dicere non esse id positum in consuetudine, quia fortè id ex eo prouenit, nam Pontifex concedit Bullam Compositionis, qua sufficienter prouidetur in hac re conscientiam fidelium.

RESOL. CLXXV.

An infirmus possit mandare in testamento, vt post mortem hæres, seu executor sumat pro illo Bullam Compositionis?

Et notatur primo Bullam Compositionis non prodessetibus, qui parua eius confidentia bona aliena illicitè acquisierunt.

Secundo queritur, quod si creditor ita absens est, vt nequeus illi debitum persoluere, neque sperari breui tempore posse, ob cuius casu excusaris a restitutione facienda, in isto casu an locus Compositionis sit?

Tertio docetur magnam controuersiam esse, an si bona, quæ tibi in hac Compositione remissa sunt, exent in specie, vel æquiualeuter, quatenus eorum occasione ditor soluetur, non creditor comparet, neque præscriptio reueri potest, tenearis ea creditori reddere? Ex part. 11. tract. 8. & Misc. Refol. 11.

§. 1. Casum